



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Bono Sodalitatis Partheniæ, Et Officiis Sodalis Erga Deiparam Patronam

Bourgeois, Jean

Antverpiæ, 1622

Cap. 25. De certo genere vitæ ac statu deligendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48699)

dra, domumq; à discipulis velut in obitu collacrymantibus, deductus, quod reliquum fuit vitæ, pietatis exercitijs orationique impendit, ad proximum se comparans ex hac vita digressum. Quod ipsum Deiparæ in Albertum singulare censeatur à me beneficium. nam quò pertinet omnis studiorum nostrorum contentio? quò referenda omnis Philosophia? nisi vti rectè discamus emori, vt ad extremum illum diem expeditis conscientia rationibus bona spe sempiternæ vitæ paratiores euadamus, ipsa quoque tum maximè patrocinate Dei Matre. Ab ea igitur, vt hoc quoque beato fine studia nostra concludantur, expetendum.

## CAPVT XXV.

*De certo genere vitæ ac statu deligendo.*

**O**Mnium deliberationum hæc vna deliberatio grauissima est, cui totius vitæ cardo, & deinceps agenda vitæ ratio nitatur. Ex qua plurima commoda,

K

G

si rectè deligatur vitæ status, incommoda & errores maximi, si secùs, oriantur. in qua deliberatione si quid peccetur, veluti iacto perperam fundamento, facta superstructione nihil remedij possit afferri. In ceteris negotijs si quid est prætermissum aut ignoratum, non tam late patet id damnum, & ferè commutato consilio reparari potest: in hoc si quid erretur, totam deinceps agenda vitæ rationem aberrare necesse est. Quare deplorandi sunt quàm plurimi iuvenes, qui rem eam omnium maximam quæ maximo eget consilio, sine vlla cura pertractant, nullo adhibito delectu, nullo consilio, ne diuino quidem Numine implorato; quod quisque adamarit, id arripit vitæ genus, quodcumque & qualecumque, quod ei fors obtulerit, aut ad quod eum voluntas parentum, aut coequalium exemplum, aut nescio cuius spes vtilitatis impulerit. Neque mirandum, si multos huiusce temeritatis serò pœniteat, & quod caput est, si multi ad æternam vitam, quæ præsentis vitæ, totiusque huius deliberationis scopus esse de-

debet, aditum sibi propemodum intercludant, difficiliorem certè reddant & vehementer impeditum, quando priùs eo vitæ genere sese implicari patiantur, quàm quod sit certissimum sibi que accommodatum, peruidere potuerint. Recens, sed locuples auctor in illa verba Prouerbiorum 8. 3. *In mediis semitis stans*, id est biuiis ac triuiis, quando plures in vnum concurrentes semitæ viatorem ancipitem reddunt, ait Deiparam mediam stare inter hasce semitas, vt in optimam inferat dirigatque. Satis imprudenter, ne dicam temerariè, agit, qui statum, seu rationem agenda vitæ electurus, inter multas vitæ conditiones, quasi inter vias transuersas, constitutus, non statim Mariam inuocat, & ab ea discit quamnam ingrediatur, cui se potissimum cõmittat. nam quemadmodũ veteres in triuiis Dianæ seu Hecates simulacrum erigere solebant, vt iter agentes regeret, atque illis vias denuntiaret: ita Deus opt. max. in intellectualibus dissimilium vitæ rationum triuiis Mariam statuit, vt cuique eam denuntiet osten-

Quirinus  
Salazar.  
Prou. 8. 3.

datque viam, quæ illum securo tramite  
in patriam, hoc est in cælum, deducat.

*Ambr. l. 1.  
offic. 44.*

Vnusquisque suum ingenium nouerit, &  
ad id se applicet quod sibi aptum elegerit.  
Quapropter ante decursum Philoso-  
phiæ stadium, cuique Parthenio Sodali  
suscipienda ferè hæc deliberatio, atque  
omni cura, diligentia, industriaque die-  
rum aliquot certo spatio pertractanda,  
adhibitâ in consilium imprimis Sanctis-  
simâ Patronâ, ac per eam multis preci-  
bus implorata cælesti luce ad Dei volû-  
tatem explorandam, quæ ad sempiter-  
nam felicitatem via sit ineunda, quæ  
certa vitæ ratio atque institutio suscipi-  
enda, quæque maximè diuino Numini  
sit placitura. Hæc enim vna Dei volun-  
tas præcipuè spectanda est, neque est in  
potestate serui, cuiusmodi nos omnes  
sumus, vt in domo heri sui eum ordi-  
nem ac statum accipiat, quem ipse velit,  
sed quem Dominus decernat ac præscri-  
bat. B. Aloysius Gonzaga cum in Regis  
Hispaniarum aula honorarius ephēbus  
annū ageret ætatis xv. quæ iam tum erat  
prudētia, iudiciūque maturitate, hanc  
de-

deliberationem maturè ingressus, existimauit se, quod esset Dei beneplacitum super eare, per Sanctissimam Virginem Deiparâ cognoscere posse. Quare quod interiecto dierum aliquot spatio proximè imminebat gloriosæ eiusdem in cælos Assumptionis festum, consulto Patre confessario delegit, ad quod præmissis pœnitentiis, varioque piarum exercitationum apparatu se disponderet, vti eo die per Patronam suam diuini Numinis voluntatem exploraret, quod sibi maximè salutare oportunumque ad suam salutem, & Dei gloriam, vitæ sequendum foret institutum. Nec eum sua spes fefellit. Nam sub sacrâ Eucharistiæ perceptionem, expressa de cælo ad eum delata voce monitus est, vt Societatem Iesu ingrederetur. Sed non omnibus ea contingit tam explorata ac liquida diuinæ voluntatis significatio: neque semper expectandum, dum miraculo Deus eam indicet, aut è cælo delabatur Angelus, qui nos omni eximat dubitatione. Non enim omnibus eæ contingunt miraculosæ vocationes: sed adhibendū præ-

ter assiduas ad Deū preces fusas, innatæ nobis intelligentiæ lumen, diligēs & at- tenta ratiocinatio, quæ fidei quoque lu- ce collustretur, ac certissimis eius princi- piis axiomatisque dirigatur, qua quod institutum vitæ potissimū sibi condeat ad Dei gloriam, & animæ salutem, at- tentiūs quisque disquirat, & secum dis- cutiat. Componendus imprimis ani- mus est ad maximam tranquillitatem, & quoad fieri poterit, equabilitatem, vt ni- hilo plus in vnā quā in alteram par- tem propēdeat. Deinde ponendus ob o- culos finis creationis nostræ, in quem om- nis vita nostra referenda est, cuius cau- sa cōditi sumus, extremus scopus actio- num nostrarum: qui non est alius, quā vt Deum conditorem nostrum agnosca- mus, amemus, colamus, ei que obsequē- tes, salutem aliquando consequamur æ- ternam. Tum varia institutorum genera, variique modi vitæ, in coniugio degēda, cælibatu sæculari, Ecclesiastico sacerdo- tio, Religioso Ordine, in hac aut ista fa- milia, implorata cælesti luce, diu multū- que expendendi, & cum illo extremo fi-  
ne

ne componendi; quid in singulis præli-  
 dij in sit & adiuventi, quid contra impe-  
 dimēti, & incommodi, quod vitæ genus  
 ad eum finem consequendum maximè  
 opportunum; & tum ex ipsius, tum ex no-  
 stra natura perpētis omnibus aptum præ-  
 cipue & accommodatum attentissima  
 cura est exquirendum. Ac quoniam hu-  
 manæ prudentiæ minimè est fidendum,  
 præsertim in ijs rebus, quæ nos attingūt,  
 in quibus amor proprius ferè caliginem  
 offundit, exquirendum quoque Patris  
 confessarij, aut alterius intelligentis &  
 probi viri iudicium; sed præcipue mul-  
 tis precibus per Virginem Matrem lux  
 cælestis imploranda: dignetur diuina  
 bonitas ac clementia per Deiparam ex-  
 orata, mentem nostram illustrare, ac pro-  
 pellere eò maximè voluntatem nostram,  
 quò fuerit ad eius gloriam nostramq; sa-  
 lutem tendendum & propendendum.  
 Duo ferè sunt tempora, & quæ iis respō-  
 dent, duo diuinarum vocationum gene-  
 ra, duplexque modus explorandi diuinā  
 voluntatem pro duplici facultate men-  
 tis nostræ intelligendi, & appetendi. v-



num pertinet ad hanc voluntatem ex vario diuersorum spirituum impulsu, varioque consolationum aut desolationum experimento, cum in precatione versamur, aut à percepta S. Eucharistia nobiscum attentius hoc ipsum de statu deligendo ex Dei voluntate consilium agitamus. Negat Aristoteles deliberandum, cum à superiore principio permouemur: ad instinctum diuinæ mentis, quæ planè superior est & melior, humanæ ratiocinationis imbecille consilium non est adiendum: cum mentem insederit diuina consolatio, quò tum nos impelli ac propendere senserimus, id maximè sequendum videtur, & existimandum id aliquod diuinæ volūtatis præiudicium. Sed quia tamen Angelus Satanæ nonnumquam sese transfigurat in Angelum lucis, ipsque immiscet instinctibus; planè certius tutiusque fuerit, si & alterum accedat tempus, aliudque vocationis genus ad intellectum pertinens, cum adhibita ratiocinatione, perpensisque vtrimque incommodis & commodis, quid agendum sit decernitur. Quod tempore consolationis

nis

nis diuinæ captum erit consilium, id  
 probandum; contrà quod desolationis,  
 improbandum. Nam consolatio à bono  
 est spiritu, desolatio à malo. tum versa-  
 tur in luce & quiete, cùm affluit conso-  
 latio; cùm opprimit desolatio, in tene-  
 bris est & perturbatione. Sed longè cer-  
 tius tutiusque est id consilium, si hoc  
 idem ipsum in tranquillitate mentis, ex-  
 actoque momentorum ac rationum v-  
 trimque facto examine comprobatum  
 fuerit. In promptu sunt & alia quædam  
 obuia, quibus id ipsum cõfirmare liceat,  
 argumenta. Si quis tibi vir ignotus, cui  
 tamen nihil non cõmodi ac perfectionis  
 optare debeas, hac in deliberatione du-  
 bius & anceps occurrat, quod illi dares  
 omnino cõsiliij, spectatâ Dei gloriâ, eius-  
 que salute, id tu tibi consiliij capias. Cùm  
 nemo sit in sua causa satis æquus iudex;  
 transferenda est eadem causa in alienam  
 personam, in qua nulla cuiuscumque  
 minùs recti affectus suspicio cadat. De-  
 inde si mors ingrueret, & iam subeunda  
 foret; quod in hac deliberatione secutus  
 esse, quod statuisse velis, id modò sta-

tue & sequere. Mors optimus consilia-  
 rius planè incorruptus. Denique cùm  
 pro tribunali diuino iudicandus susteris,  
 cùm erunt totius vitæ rationes reddendæ,  
 quo te velis vsursum esse consilio, hoc  
 nunc vttere, & ex illa futuræ vitæ statera,  
 ex beatæ aut miseræ æternitatis libra,  
 quicumque in deliberationem caderet,  
 vitæ statum pondera & dijudica: id age  
 quod per omnem æternitatem egisse  
 voles. Ad extremum in omni hac deli-  
 beratione ad Patronæ tuæ certissimam  
 fidem atque opem confugito, illam in-  
 uoca stellam maris clarissimam Cynosu-  
 ram, vt sæculi huius enauigato mari, fa-  
 cili ac felici cursu portum sempiternæ  
 felicitatis ac salutis aliquando teneas.  
 Rectè Bernardus, Mariam cogita, Ma-  
 riam inuoca, non recedat ab ore, non re-  
 cedat à corde. ipsam enim sequens non  
 deuias, ipsam cogitans non erras, ipsâ  
 duce non fatigaris, ipsâ propitiâ per-  
 uenis.

*Homil. 3.*

*Super Mis-*  
*sericordiam*